

necessariis dispositis, legatum, imperatoremque Reipublicæ ad-
monet, ut nocte concubia cum militum manu ad urbem ac-
cedant, signum illis, tempusque patrandi facinoris daturus.
Ab Urbini Duce Malatestæ Baleonio viro impigro, astuique
militari assueto provincia demandatur, ut tribus peditum mil-
libus assumptis, iter ad Laudem Pompejam dirigat. Interea
Vistarinus juvenum manu, quorum opera in urbe tradenda
uteretur, selectis, ac in ædes aliquot occulto immissis, duo-
bus tantum illum comitantibus, ad turrim, in qua sex mili-
tes excubias agebant, quasi, an recte vigilas obirent, animad-
versurus progreditur; quos, fociis subsequenter, mira cele-
ritate omnes interfecit: quo peracto, vallum ingressus ad Ve-
netos milites urgendos properat, Fabritio Maramaldo nondum
quid peractum esset, audiente. Itaque viij. kalend. junii, non-
dum albescente cælo, Baleonius urbem ingreditur, Laudeque
Veneti potiuntur. Maramaldus vero, cui cum mille, ac quin-
gentis peditibus urbis custodia mandata fuerat, in arcem con-
tinuo se recepit, statimque Alphonso Davalo, & Antonio Le-
væ quæ acciderant, significat; quid sibi in hoc rerum discrimi-
nine agendum sit, postulat. Qui novitate rei perculsi, cum
in laude Pompeja maximum ad bellum peragendum momenti
inesse cernerent, statim Alphonsus Davalus cum Joanne Ur-
binate Tribuno, Mediolano tria peditum millia cum leviorum
equitum manu educunt, citatoque itinere Laudem contendunt,
& arcem per subsidialem portam ingrediuntur, eodemque mo-
mento in forum prosiliunt. At Malatesta Baleonius statim ur-
bem ingressus militibus forum occupaverat, vicosque, ac do-
mos, quæ ad portam, qua ipse ingressus fuerat, ferebant,
muniverat, ut majori hostium vi ingruente tutum discessum
haberet. Hispani initio acriter pugnare, instare, conari Vene-
tos præsidio dejicere; sed illis acriter obsistentibus, Malatestæ
Baleonii adhortationibus majores spiritus, viresque fumentibus,
eminus ballistis ferreis, cominus gladiis, hastisque pugnantibus,
tandem Davalus amittere Laudem Pompejam potius,
quam Mediolanum in periculum adducere voluit; reductisque
militibus, & in arce præsidio relicto, Mediolanum reverti-
tur. Interea Urbinas, ac Pesareus cum reliquis copiis super-
veniunt, qui, felici rei eventu cognito, cum nocte superiori